~~van Velt~~. Laurentio van der ~~Vel~~ Veen IOHANNES COCCEJUS.

Epistola 227.

311 312 313

Praestantissime D. Veeni. ~~Domine~~.

In Synodo Goudana acris disputatio fuit. Venerunt inde ad nos Deputati, qui nostram vel communem vel propriam sententiam exquirerent et a scribendo nos dehortarentur, ostendentes, si nihil impetrarent, vel [illegible] ab omnibus, Synodum Ordines aditurum. Heidanus

NB. & ego in Scripto dedimus nostram sententiam.

1. Nos pacis causa admittere 6. regulas Synodi nationalis in sensu Scripturis conformi.

2. quia, qui eas servat potest esse certus se nec praeceptum 4tum violare, nec dictum Apostoli Col. 2:16.

3. Nam etiam Ecclesiam Christianam habere suum Sabbatum sanctificandum. De quo est Heb. 4:9. Es. 56. 58. 66. neque adeo quartum praeceptum esse tollendum de Decalogo.

4. Morale quarti nos putare optime explicatum in Catechesi q. 103. Interim etiam approbare diff. 21. Synopseos. nisi quod non velimus judicari vel judicare in quibusdam minus principalibus.

5. Nos, si cessent ministri ita praedicare ut hactenus, & Professores hic aliter scribere, a scribendo destituros. &c.

D. Hoornbeek noluit istis subscribere. Misit epistolam accusatricem. Semper laudatos fuisse qui pro moralitate quarti praecepti scriberent, non qui contra. Sex regulis addendam 14. sessionem: vere nationalem. Non dicendum esse, non esse 10. praecepta moralia. Non docendum esse, quod die Dominica faciendo opus non peccatur. Satis se posse ut res ad Ordines deferatur, ut cognoscant statum academiae suae, & quis fecerit contra juratam promissionem, &c. Synodus dixit esse 10. praecepta moralia. Persistendum esse in 6. regulis, & 14. sessione. Esse aliquid caeremoniale quarti praecepti, abrogatum in N. T. Commissarius Ordinum jussit notari, se non aliter ea admittere quam prout sunt in 6. regulis & 14. sessione. Hoc actum est, quantum memoria suggerit. Interim prodiit Nathanaelis Johnstoni Scriptum durum in nos plenum ignoratione elenchi & calumniis manifestis. ~~Quidam dicunt Voetii esse scriptum.~~ Non possum satis mirari Theol. Scholastica studiosos esse tam ignaros et veri et boni. Quid D. Vogelsang sentiat, [illegible] posse ex hiis intelligeris. Recte facies, si identidem ad me scribas. Labora tantum, Deus tibi prosperabit. Ego totus in psalmis sum. Quia video, quam procul a cogitatione divinorum homines esse [illegible], cogor me diffundere et saepe [illegible]! Vale [illegible] et pro me orare perge. D. Vogelsangh meo nomine saluta. Lugd. d. 20 aug. 1659

Tui amantissimus

J. Coccejus.

[illegible] tertiam

... COCCEIO IOHANNES ...US.

firmam tertiam.

35-17